

1351 ter mille viros . Sed externi scriptores eo modo , quo diximus , ad Bosphorum pugnatum tradiderunt : de cuius prælii atrocitate (ne quid finxisse videamur , vel imprimis , quia diximus tota nocte dimicatum) Franciscus Petrarcha ita scriptum reliquit : *Vicistis* , inquit ille , ad Genuenses scribens : *Quiescite , ne quis vos vestrorum morum putet oblitos . Venetorum hostium cruore spumantem Bosphorum vidimus , quando ad vesperam violentissimo spirante austro , inter Constantinopolim & Calcedonem trium validissimarum gentium in vos est factus incursus , vobis vero contra hostes , contra ventum , contra mare , pugnantibus .* Hæc ille , & alia in hanc sententiam quæ sequuntur . Forlivienfis Blundus hæc subicit : *Pernox etiam prælium fuit postremo proximam in lucem sine intermissione protractum : & , quo magis miretur posteritas , nox brumalis fuit .* Per eos dies quibus pugnatum erat , duas Genuensium naves cum commeatu Peram venientes Pisanus intercepti ; qui ubi hostem ad pugnam elicere non potuit , commeatu deficiente ; in Cretam cum Veneta & Aragonia classe concessit : hic concussas triremes per ocium resarsit . Genuensis & ipse semifractas naves domum reduxit . Bosphoranæ pugnae nuncius Venetias perlatus ingenti mortificia civitatem affecit .

1352 Sed Patres non magis mæror , quam pudor conficiebat : indigne ferebant Patres , Genuensem , quem ipsi totiens suis viribus freti vicissent , tum paucorum temeritate , qui iniquo loco pugnam commisissent , duorum potentissimorum Principum opibus adjuti , non modo non vicissent , sed , clade accepta , loco etiam cessisse videntur . Ne quid igitur in posterum temere committeretur , placuit quatuor legatos mitti , qui ubique classis Imperatori assisterent , ac cum illo omnia quæ e Republica essent , providerent . Joannes Delphinus , Marcus Cornarius , Marinus Grimanus , Marinus Phalerius missi . Post illorum in Cretam accessum nonnullæ ex insula triremes in Ponticum mare missæ sunt , quæ pluribus hostium navibus ,